

### XIII

1343, 1 dicembre.

IV, II, 9, 10.

(cc. 9 v.): In dei nomine amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo quadrigesimo tercio, indictione undecima. Regnante domino Lodoyco serenissimo rege Ungarie, ac domino nostro domino Andrea Dandulo dei gratia inclito duce Veneçiarum, temporibus uenerabilis patris et domini domini Dominici dei gratia archiepiscopi Spalatensis, egregii et potentis uiri domini Johannis Dandulo honorabilis comitis, ac nobilium uirorum dominorum Gregorii Petri Petrache, Serchie Lucari et Nichole Duymi Peruosclauu iudicum dicte ciuitatis Spaleti.

(cc. 10): Die primo decembris. Frater Dimitrius Arbanensis de Duracio prior loci fratrum predicatorum de Spaletu, cum consensu et expressa uoluntate fratris Donati de Padua, fratris Martini de Jadra lectoris, fratris Phylippi de Sancto Seuerino, fratris Gregorii de Clissa, fratris Pauli de Dulcinio, fratris Laurencii de Sibinico, fratris Basillii de Duracio, fratris Cipriani de Spaletu et fratris Ilini de Padua et ipsi fratres omnes una cum dicto priore ibidem ad sonum campane ut moris est pro suo capitulo congregati, uice et nomine dicti conuentus, ratificauerunt et affirmauerunt sententiam pridie latam per dominum comitem et curiam ciuitatis Spaleti de quadam domo posita ad Fenestras, scilicet de pauimento cum canipa posita infra suos confines, pro qua domo idem Franciscus per formam dicte sententie eidem conuentui dare tenebatur octo ducatos et dimidium de auro, ut in ipsa sententia, scripta manu mei Johannis notarii infrascripti, plenius continetur. Quam quidem sententiam uoluerunt per se et eorum successores plenam firmitatem habere, dantes et concedentes dicto Francisco omne ius et actionem realem et personalem, quod uel quam habent uel habere possent in pauimento et caneua predictis, quacumque ratione uel causa, modo uel ingenio, se autem foras ponendo de omni iure quod haberent in ipsis, asserentes et confitentes fore eis de dictis octo ducatis et dimidio de auro a dicto Francisco integre satisfactum; de quibus fecerunt eidem finem et quietationem. Quam ratificationem et omnia et syngula supradicta dictus prior una cum dicto capitulo per se et eorum successores promiserunt dicto Francisco, pro se et suis heredibus et successoribus recipienti, perpetuo firmam et ratam habere et tenere cum refectione dampnorum et expensarum litis et extra et sub obligatione omnium bonorum dicti conuentus. Actum in refectorio dicti loci, presentibus Bogodano Sloui et Meste Dragomilich testibus, et Duymo Bertani examinatore.